

Nil igitur restabit amplius conflandis consiliis; omnia in promptu sunt. Dominus nos iuuet et non sinat amplius tentari nos, quam humeri miseriæ nostræ ferre possint. Amen. Vale cum tuis meisque omnibus et me amplissimis viris dominis consulibus commendato. Sangalli, XIX. die Aprilis, anno MDXLIX.

Ioachimus Vadianus.

Pio et erudito viro D. Henrycho Bullingero, sanctæ ecclesiæ
Tigurinæ episcopo, domino suo et amico inprimis colendo.

a) „isth.“. — b) „t“ für „c“. — c) „ci“ für „ti“. — d) „oerii“. — e) „æd.“. — f) „coe.“.

1) Vgl. I, Register, unter «Vadianus».

VII 22.

1654.

Hieronymus Pappus¹⁾ an Vadian.

Lindau. 1549. April 20.

Er übersendet den Brief eines Freundes aus Nürnberg und schildert seine Ratlosigkeit, ob er gehen oder bleiben solle; zu letzterem bestimmt ihn die Rücksicht auf Familie und Besitz. Er bittet Vadian um Rat und empfiehlt ihm seinen Verwandten Christoph Mylius.

S. D. P. Non possum prætermittere, clarissime et doctor et consul, nactus tam opportunum^{a)} nuntium^{b)}, mittere Dominationi tuę literas, quas bonus et pius quidam frater meus in Christo ex Norimberga ad me scripsit. Tempus non habui, ut exscriberem^{c)}; mitto igitur exemplar ipsum et peto qua possum sedulitate, ut iudicium P(hilippi) M(elanchthonis) diligenter pro ingenii tui acerrimo iudicio trutines atque ponderes atque remissis hisce, quid de illo sentias, impertias. Ego certe inter sacrum et saxum sto, nescius, quo me vertam. Mecum aliquando concludo, nihil esse melius et tutius et christianum etiam magis quam abire; quando autem postea considero, relinquenda esse omnia, ædes videlicet, vineas et agros, census atque adeo omnia, quę ad vitę præsentis commoditatem spectant, et esse stipatum charissima coniuge iuvenula^{d)}, novem itidem liberis, adest caro, quę a proposito me avocat atque nescio quid sibi pollicetur, præsertim^{e)} quando res nostrę in hodiernum usque diem ita sunt instructę atque apparatusę, ut veram et solidam habeamus doctrinam. Attamen ut amantes sunt timidi et umbras aliquando timent, ego quotidie mihi imaginor, res nostras ita consistere non posse, quando ferociam advers(ar)iorum et crudelitatem contemplor. Unus nescit Iesus Christus, qui pretiosissimo^{f)} suo sanguine redemit omnes nos. Per spiritum sanctum indicet nobis omnibus, quid faciendum et evitandum. Tu, quod frater

fratri præstare potest, præsta atque acrimonia consilii et iudicii tui nos adiuva. Te et tuos omnes incolumes esse cupio, non tam corpore quam animo. Commendo tibi Christophorum Mylium, affinem meum, olim scribam nostrum, cum suis iam apud vos exsulem^{g)}, virum — ni fallor — pium, ad ferendam crucem paratum. Tu vale, doctor excellentissime, cum omnibus tuis. Ex Lindavia, 20. Aprilis 1549.

Hieronymus Pappus, Excellentię tuę deditissimus.

Clarissimo simul et doctissimo viro D. Ioahimo Vadiano, Sangallensium et medico et consuli, domino suo et amico.
Sangallen.

a) „oport.“. — b) „c“ für „t“. — c) „excrib.“. — d) Die Endung unsicher, eher „-ę“. — e) „e“ für „ę“. — f) „pręc.“. — g) „exul.“.

1) Vgl. oben, Brief 1161.

1655.

VII 18.

Rudolf Gwalther¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1549. April 21.

Empfehlung eines Polen aus vornehmer Familie, der auf den Rat des Johannes a Lasco nach Zürich gekommen ist, hier drei Wochen als Gast des Briefschreibers verweilt hat, und nun über St. Gallen nach Italien zu reisen beabsichtigt.

Gratiam et pacem a domino. Quamvis rarius ad te scribam, vir amplissime, non alio tamen id nomine fieri putabis, quam quod indignum puto, tuas et graves et utiles occupationes meis nugis interturbare, maxime cum, quę apud nos geruntur, ex Bullingero, Mæcenate^{a)} meo fidelissimo, abunde intelligas. Rupit vero silentium hoc mihi, qui has ad te defert, quem sine mea commendatione dimittere non potui; non quod ea indigeat, qui semetipsum amplissimis virtutum ornamentis commendat, sed quia ipse sibi aditum ad te sterni cupiebat, et amicitię nostrę, immo^{b)} christianę charitatis ius postulabat, ut omnibus bonis commendaretur abs me, cuius mores et ingenium perspectum haberem. Polonus autem est gente, e celebri ac nobilissima familia natus, et D. Ioannis a Lasco suasu ad nos commeavit, ut ecclesię nostrę doctrinam ritusque videret. Exceptus est a me hospitio, quo per septimanas tres usus est summa cum morum integritate et animi modestia. Eam certe in eo humanitatem cum fide vera et eruditione haud vulgari coniunctam expertus sum, ut hospitem mihi nullum unquam fuisse meminerim, cuius discessus animo meo fuerit molestior. Habebit haud dubie testimonii idem a Bullingero nostro, quocum de multis docte et pie contulit. Quia vero in Italiam vel Venetias